



Iacobus honestis parentibus ad Rhenum in Pa-
 latinatu natus, & in bonis literis educatus est. cū
 uerò prima rudimenta didicisset, hinc inde ad Aca-
 demias profectus, liberalibus artibus & in primis
 Mathematicis disciplinis incubuit, atq; in ijs pluri-
 mùm profecit. Postea quoq; animum ad Iuris stu-
 dia adiecit, & eorum lectionem sibi familiarē red-
 didit. Huc accedebat & rara prudentia, in rebus a-
 gendis dexteritas, atq; facundia naturalis. Itaq; fa-
 ctum ut in oppido Rhenensi Oppenheim Proto-
 scriba cōstitutus, & in senatum lectus fuerit. Ibi ma-
 gna industria res sibi commissas expediuit, atq; ni-
 hilominus ijs horis, quibus à politicis negotijs ua-

cabat, bonis studijs inuigilauit, ac præsertim Astronomiam elucidauit. Scri-
 psit enim Astrolabij declarationem Quadrātis usum, & uariorum instrumen-
 torum explicationem, præterea Arithmeticam & uirgam Visoriam, cum mul-
 tis alijs huiusmodi, atq; circa annum 1530 edidit, quæ hodie passim in studio-
 rum manibus circumferuntur. Hoc modo effecit ut ob rerum usum, & litera-
 rum studia elucidata, suum nomen cum laude ad posteros transmiserit. Anon.